

Q. K.
422
47.

(X 187 8977)

XXVI.

II R
4094

WUJ

DISSERTATIO ACADEMICA

De

MALLEOLO

JOBELEIO,

Quam

SUB PRÆSIDIO

VIRI

NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, ATQUE EX-
CELLENTISSIMI

DN. DAN. GVIL. MOLLERI.

Com. Palat. Cæs. & Histor. & Me-

taph. Prof. Publ. longè celeberrimi,

Patroni, Fautoris, Præceptoris, humillimo mentis affe-

ctu venerandi, colendi, honorandi,

Συσεγνώτως

die 17. Febr. A. R. S. MDCC.

p. p.

GEORGIUS BLANCK,

Langenzenda-Francus.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

ALTDORFF

Literis Jodoci Wilhelmi Kohlen

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT

MARIA THERESIA

1780

IN DER UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT
DIE UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT





§ I.



Malleus est manuale instrumentum plerunque fabrorum, cujus manubrio communiter ligneo breviori, ferreus est insertus radius solidus, in longitudinem latitudinemque decentem exprorectus, vel utrimq; capitatus, vel altera duntaxat parte capitatus, & altera sive rostratus, sive in spathulæ formam dilatatus, ad contundendam, percutiendam, diducendam, & quovis alio modo subiectam ei materiam tractandam adhiberi solitum.

II. *Derivatio Mallei* præcipue occurrit *triplex*: una quidem *Latina*, quando juxta *Jsidor. Origg. lib. 19. cap. 7.* *Malleus* vocatur, quia dum quid calet & molle est, cædit & producit. *Altera Græca*, quando à *μαλάωω*, i. e. *emollio*, descendere dicitur. *Tertia Ebraea*, quando à rad. *מלה* i. e. *contudit, obtudit*, (non autem, ceu in *Voss. Etymolog. LL.* voce *Malleus* vitiose impressum est, *confundere*.) *Prima*, ut allusiva magis, quam grammatica esse videtur, ita *altera* quoque regulis bonæ legitimæque *Nomenclaturæ* adversatur; *Tertia* igitur, me præter, haud paucos alios reperire licet adstipulantes.

III. *Equivocationem Mallei* quod attinet, κατὰ μεταφορὰν de morbo jumentorum is dicitur, inquitente enim *Vegetio Mulomedicin. l. 1. c. 2.* ipsa appellatione vim cladis periculumque testatur: nisi à Græcis potius origo ejus arcessenda fuerit, quippe apud quos, *Hesychio* teste, *μαλιν* jumenti morbus est, cum tussit. *Malleus* insuper ob similitudinem aliquam, ab *Anatomicis* dici solet illud officulum, quod in aure interna processu suo membranæ tympani pertinaciter adheret, & caput ejus *incudi* articulatur. *Malleus* quoque erat in-

signe eorum, qui apud Romanos Praefecti fuerant fabrorum, vid. *Sparham. dissert. de numismat. p. 557.* Quae vero alias in malleo, propter multiplicem ejusdem usum, variamque materiam ex qua confectus est, latitare adhuc videri cupiam posset homonymia, eam certz semper vocis cujusdam adjectione, non tantum detegi, sed perire etiam penitus, nemo non mecum fatebitur: Sic dicitur *malleus legis*, *malleus conscientiae*, *malleus hereticorum*, *malleus ligneus*, *malleus plumbeus*, *malleus ferreus*, *malleus ferrarius*, *malleus Amazonicus*, *malleus argenteus*, *malleus aureus*, *malleus jobeleius*, *malleus stuparius*, *malleus papyrus complanans*, &c. Sic *Nebuchadonosor* malleus dicitur totius terrae Babylon, propter potentiam & crudelitatem, *Jerem. c. 50. v. 23.* & *c. 51. v. 20.* Apud Francos, Carolus, Avus Caroli M. à potentia, sive, à viribus Martiis, cognominatus est *Martellus*, sive *Malleus*. Apud Hungaros Rex eorum *Job. Hunniades* appellatus est *Malleus Turcarum*. Sic *Saladinus*, Turcarum Rex bellicosissimus, vocatus est *Malleus Christiani nominis*. Sic *Alexander M.* à Poëtis quibusdam dictus est, *totius malleus orbis*.

IV. De *Malleis Jovialibus* notandum, *Gothos veteres* tam obstinato animo Deorum suorum cultum observasse, ut concitato forte in nubibus fragore, sagittis in aëra excussis, ostenderint, se opem allaturos diis suis, quos tunc ab aliis oppugnari putabant. Neque temeraria ejusmodi superstitione contenti, *Malleos* quoque *inustati ponderis*, (quos *Joviales* vocabant) ex ære factos, magnaue religione cultos, in futuros usus asservabant, ut per tales malleos, cœli fragores, quos malleis cieri credebant, exprimerent, tantique sonitus vim fabrilium ictuum specie imitantes, deorum suorum bellicis sic adesse, admodum religiosum existimarent. Duravit iste *Jovialium malleorum* usus ad *A. C. 1130.* cum nempe *Magnus*, Nicolai Danorum Regis filius, Gothorum Rex, ut *Idolomania* materiam deleteret, inter cetera tropæorum suorum insignia *Malleos Joviales inustati ponderis*, apud Insulam quandam cultos, in patriam deportandos curavit, atque ita ipsum quasi Jovem exarmavit.

V. *Synonymia* in variis linguis est varia: & quidem in *latina* ab *Isidor. loc. cit.* verbis exposita est seqq: *Marcus* malleus major, & dictus *Marcus*, quod major sit ad cædendum & fortior. *Marcellus* mediocris. *Marculus*, malleus pusillus: in *Germanica* ein Hammer, in *Hebraea* מַלְמָה, in *Graeca* ἡ σφύρα, in *Italica* Martello, in *Hispanica* Martillo, in *Gallica* Maillet, Marteau, in *Hungarica* Kalapacz, Veró, Pöröly.

VI. Jo-

VI. *Jobelius* est adjectivum, à nomine *Jobelus* descendens, cujus *Ὀνομασολογία* uti in Disp. nostra de *Jobelio* Pontificio haud ita pridem est exposita, atque à natalibus ebraeis, speciatim vero à voce *אֲרִי* *Aries* arcessita, ita actum agere nolentes ad eandem illam, cupidos ejusdem plenius cognoscendæ, benevole ablegamus. Ceterum adjectivi hujus usus ex *M. Job. Baptist. Hebenstreittii* Sylva de Templo Novo SS. Trinit. apud Ulmenf. pag. 2. satis elucescit, ubi legas licet seqq.

Numinis auspicio magni *Jobelie* Festa

Egimus, in seculo quæ nostrum nemo futuro

Adspiciet, ceu præterito neque viderat ævo.

VII. *Malleolus* est diminutivum, quod variis subjacet significationibus: *Proprie* enim est instrumentum illud manuale s. i. descriptum. *Improprie* autem est ein *Neb-schoss* / *Nebenschößlein* / *Knott* / *holz* / unde *Isidor. Origg. lib. 17. c. 15.* *Columella* verba ex ejusdem *lib. 3. de R. R. cap. 6.* exscribens, ait: *Malleolus* est novellus palmes, innatus prioris anni flagello, cognominatus ob similitudinem rei, quod in ea parte, qua deciditur, ex veteri sarmento prominens, utrimque mallei speciem præbeat. Deinde *Malleoli* sunt *Pechtränke* / *Feuerballen* / *Granaten* / de quibus *Nonius Marcellus de propriet. sermon. cap. 18. §. 27.* *Malleoli*, ait, sunt manipuli spartei pice connecti, qui incensi, aut in muros, aut in testudines jaciuntur. *Conf. Senna hist. lib. 4. Ammian. Marcell. l. 23. c. 10. Veget. l. 4. c. 8. Lips. Poliorcet. 5. dial. 5. Casaubon. in Æn. Tactic. p. 103. Stewech. ad Veget. c. 1. Festus de verbor. signif. voc. Malleoli, Vitruv. l. 10. c. ult. Præterea Malleolus est ein Knöchel am Fuße / hinc in N. T. Actor. 3. v. 7. de S. Petro Virum claudum sanante dicitur: Et prehensa manu ejus dextera, erexit eum: illico vero solidatae sunt plantae ipsius ac *Malleoli.* *Luther. Alsobald stunden seine Schenkel und Knöchel feste.* Denique *Malleoli*, secundum aliquos Scripturæ S. Interpretes, pro vanis hominum traditionibus positi apud *Esai. c. 50. v. 11.* reperiuntur.*

VIII. Cognomine *Malleoli* insignitos tres potissimum reperire licet; quorum primus est *M. Malleolus*, ex gente *Poblicia*, qui, matre interemta, Romanorum primus parricidii damnatus, ideoque peculiari supplicio affectus, culeo insutus, cui gallus gallinaceus, simia & vipera inserta sunt, & in flumen detrusus est, ut in rixa infensorum sibi animalium, fœda laceratione corporis, ob tanti sceleris immanitatem, diro cruciatus vulnere interimeretur. Secundus est

Isaacus Malleolus, Argentinx A. 1564. natus, qui publica Matheſeos professione in Academia patria, nomen ab interitu vindicavit. *Tertius est Felix Malleolus*, vulgo *Hämmerlein* dictus, Decretorum Doctor Jureconsultissimus, qui circa A. C. 1444. florens, varix eruditionis opuscula & tractatus edidit. Quid autem de formulis illis loquendi german. *den Meister Hämmerle spielen* / qua die kleine Gauclers Puppen sive marioneten, h. e. lignex statux artificis ductu sese moventes innuuntur; *itemq; der Meister Hämmerle* / qua Satanas vulgo insignitur, habendum sit, alia forsan occasione expendetur.

IX. Est autem *Malleolus Jobeleius* instrumentum manuale, cujus manubrio fere cubitali toti argenteo deaurato supra inhæret transversalis radius itidem argenteus deauratus, altera quidem ex parte figuræ huc usque dubiæ, altera capitatus, cujus triplici, ordinarie quidem à Pont. Rom. extraordinarie à quodam ejus delegato Cardinali, in Vigilia Natalis Christi, in murum, quo porta sic dicta sancta Basilicæ Petrinæ obvallata est, pulsu, interjecta ad quemlibet distincte & cum interstitio quodam factum ictum, ex S. Bibliis sententia quadam appropriata, foraminuloque patefacto, potestas datur Cæmentariis præstolantibus murum penitus dejiciendi, lapidesque & cæmentare movendi viaque recluditur, per portam adaperitam Pontifici nudato capite, Cardinalibus & aliis ex Clero & Seculo eum sequentibus hominibus, Basilicam ingrediendi, ibique cultu divino suo more defungendi.

X. *Quis primus Malleoli ejusmodi usum introduxerit*, dictum haud adeo difficile esse reor. Ut enim taceam, nullum alium, præter Bonifacium VIII. Pont. Rom. Jobelei istius autorem huc usque potuisse produci, certe malleoli etiam triplici in sic dictam sanctam Basilicæ Petrinæ portam ictu, apertioni portæ præitum, & ad illud S. Codicis dictum; Matth. 7. v. 7. *Pulsate, & aperietur vobis*, collineatum fuisse, nonnullæ circumstantiæ historicæ testari videntur. Equidem me non fugit, quosdam ad citati Bonifacii Bullam & speciatim verba ejus, provocare hæc: *Antiquorum fida habet relatio, &c.* quasi nempe jam dudum ante Bonifacii tempus Jobelea fuerint celebrata: Sed nulla Bullæ ejusmodi Jobeleiæ linea, nedum integra aliqua Bulla, vel in jure Canonico, vel alibi comparente, quis fidem quæso nudæ narrationi adhibendam esse affirmaverit? Nimirum quo tempore Bullæ Jobeleiæ primum sunt promulgatæ, eo etiam Jobelea primum sunt celebrata; Atqui Bonifacii VIII. tempore &c.

XI. *Effi-*

XI. *Efficiens* dicti Malleoli causa est *Aurifaber*, qui ad mandatum Pontificis Rom. vel in gratiam Pontificis alterius cujusdam Principis, eum in hac vel illa forma, hoc vel illo pondere, hac vel illa longitudine, hac vel illa crassitie, elaborat. Enimvero antea jam factum, & ab aliquo Pontifice in tali functione adhibitum, rursus fuisse ab alio Pontifice, in usus eisdem revocatum, non recordor me legisse, in aliarum tamen Basilicarum Romanarum apertione à Cardinalibus peracta, semel jam à Papa aliquo adhibitum malleolum, denuo fuisse huic functioni destinatum, abrafo tamen prius, differentiz inter malleolum Papalem & Cardinalitium gratia, auro, negari nequit. Sic ex relationibus hebdomadariis accepimus, circa cœptam solenniter Jobelei universalis Romæ, sub anni superioris fine, celebrationem, Cardinalem Pamphilius in aperienda Basilicæ S. Johannis Lateran. porta, malleolo Innocentii X. Pont. Rom. segregato tamen prius auro, usum fuisse.

XII. Præter Papam, alios quoque Principes confici interdum curasse Malleolum, in usum solennitatis Jobeleiæ, uti paulo ante monitum est, ita vel ex nupero Magni Ducis Hetruriæ exemplo factis superque elucescit: is enim, ceu traditum quidem est, Malleolum totum aureum, & arte & pretio insignem, gemmisque ac unionibus undique insertis radiantem, moderno misit Pontifici Romano Innocentio XII.

XIII. Hunc Malleolum, gemitu ex imis ducto præcordiis, sæpius quidem Papa oculis intuens tristioribus, quin dextra etiam levans versansque, humeris ministri cujusdam Aulici ante se in genua procumbentis impositum, nunc fursum, nunc deorsum tollere tentavit, scenæ scilicet deinceps in apertione Portæ Sanctæ peragenda quasi prolusus, sed tamen spe hac sua morbi perseverantis vehementia frustratus, functionem illam delegato à se Cardinali Bouillonio committere debuit, qui eum ipsum quidem licet in apertione Portæ Sanctæ haud adhibuerit, an tamen vel illo malleolo deaurato, quem Papa sibi fieri jam antea curasse dicitur, vel alio suis sumptibus elaborato, usus fuerit, fama tacente, determinari haud potest.

XIV. *Materia* Malleoli ordinariæ est *argentum*, auro tamen, ad aliorum Malleorum Cardinalitiorum distinctionem, obductum. Errasse igitur illi dicendi sunt, qui vel ex auro mero, purissimoque, vel ex solo, nudoque argento, eos confectos fuisse pronunciarunt. Nisi forte remedium huic errori distinctio attulerit, *inter intrinsecata*

Ex-

Extrinsecam malleoli materiam, ita quidem, ut respectu ad intrinsecam & prædominantem materiam habito, *Argenteus*, & eodem ad extrinsecam & foris apparentem directo, *Aureus* dicatur *Malleolus*. Cur autem non totus aureus sit, mihi hucusque nondum innotuit.

XV. Formam Malleoli vel speciali verborum ambitu à Peregrinatore aliquo curioso delineatam, vel Artificis cujusdam industria æri incisam, vel alio modo expressam nondum mihi licuit reperire: Si tamen conjecturæ ex antiquis aliquot numis desumptæ locus esset concedendus, dicendum foret, Romanos Pontifices, ea malleolos figura fieri curasse, qua in denariis Lemniorum malleus cum forcipe, ceu Dei Lemnii, h. e. Vulcani instrumenta expressa conspiciuntur; malleus nempe ex utraque manubrio diametraliter præfixi ferri extremitate capitatus. Vel, nisi quis forte putaverit, Malleum Jobeleium eo factum fuisse modo, quem mallei Latomorum saxa in Latomiis cadentium referre solent, una nempe præfixi radii extremitate capitata, altera rostrata sive cuspidata, cujusmodi quidem malleoli figuram delineatam licet reperire in quodam Gentis apud Romanos Valeriæ denario, apposito nomine *Acisculi* h. e. *Latomii*. Atque hoc numorum par *Ezech. Spanhemius in dissert. de numism. pag. 557.* æri eleganter incisum exhibuit. Vel denique nisi quis existimaverit, radium Malleoli una ab extremitate capitatum, altera in spathulæ patentioris formam esse dilatatum, quales malleos cæmentariorum & fabrorum mura-riorum operas quotidie exposcere videmus.

XVI. Interea nemo nisi prudens *αυρόωπλος* & catus scrutator edisferuerit, an malleolus vel ex solida argenti massa, vel ex eadem excavata, incavata aut detornata sit præparatus: *Manubrium* etiam illius an ex argento fusum, an ex laminis argenteis ferruminatis connexum, an tenue, an teres, an interstitiis distinctum, an sculpturis aut bullis, aut alio modo exornatum sit, nemo, quantum scio, exposuit. Nimirum quo minus hæc talia plerumque curantur, eo magis ad exactiorem alicujus rei notitiam faciunt, sitimque curiositatis extinguunt.

XVII. Quali quantove malleolus pondere, vel unquam constiterit, vel semper constare debeat, haud facile asseruerim: certe à sola Pontificis, vel ejus personæ, quæ eum fieri curat, voluntate id dependere, ad veritatem quam proxime accedere videtur. Ut enim taceam, pondus unius vel alterius Malleoli Jobelei, unquam fuisse memoriæ traditum, profecto in Camera etiam Pontificali mentionem

tionem aliquam de certo ac determinato ejus pondere fuisse injectam, haud memini me observasse.

XVIII. *Finis* Malleoli est trina ejusdem à dextra Papali in muri portæ sanctæ adstructi, ea quidem in parte, quæ ad foramen facilius faciendum, prius extenuata est, percussione, elevatio ac depressio, quæ tamen non continuo, alio super alium facto pulsu, & sine ulla prorsus mora aut notabili interposita distinctione, peragitur, sed ad quemlibet separatim ab antecedente repetitum ictum, singulares quidam ex S. Codice depromti versus proferruntur. Nimirum ad primam malleoli impactionem Pontifex verba pronunciat ista: *Aperite mibi portas justitiæ, ingrediar in eas!* ad quæ Chorus Musicus vario sub instrumentorum concentu pfallendo reponit: *Ingressus est in eas, confitebor Domino.* Deinde ad alterius iterationem ictus Papa verba profert seqq. *Introibo in domum tuam Domine!* Musici per antiphoniam regerunt: *Adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.* Denique post tertiam malleoli pulsationem, Papa denuo infit: *Aperite portas, quoniam Dominus nobiscum est!* Quibus svavi sub symphonix cantu verba subjiciuntur hæc: *Qui fecit virtutem in Israël.* Tum Papa redit ad sedem, dicens: *Domine exaudi orationem meam!* Respondent Musici: *Et clamor meus ad te veniat.* Mox fabri demoliuntur murum Portæ, & lapidibus ac cæmentis amotis, Papa ingreditur, dicens: *Dominus vobiscum!* cui in Antiphonia respondetur: *Et cum Spiritu tuo.* Inde dicit orationem: *Deus, qui per Moysen famulum tuum* &c.

XIX. Antequam malleolo portam pulsat Pontifex, ea à Pœnitentiariis aqua abluitur benedicta, hanc quidem, ceu ab ipsis Pontificiis traditum est Scriptoribus, ob rationem, quia tali ablutioe indicatur, illos solum Jobeleum consequuturos, qui à peccatis mundi fuerint, & medio Confessionis sacramento, omne maculæ genus, quæ animam inquinat, purgaverint. Enim vero an sine prævia ejusmodi ablutioe Papa portam malleolo unquam pulsaverit, vel pulsare etiã possit, nescio an in quaestio- nem vocari debeat, præsertim quod juxta Ceremoniale singulare Romanæ Ecclesiæ tota ista functio malleoli sit peragenda. Hinc neque, Cardinale forte aliquo à Papa ad Portæ S. apertio- nem ablegato, ablutio illa cessare vel omitti poterit, quippe
 B quod

quod Cardinalis eodem munere, quasi ipse Papa præsens adesset, suisque manibus malleolum muro impingeret, defungitur: uti quidem talem ablutionem, superiore quoque anno, in aperitione Portæ Sanctæ à Cardinali Bouillonio peracta, factam fuisse relationes quædam nos docuerunt hebdomadariz.

XX. Quid autem, si forsan ad tertium malleoli ictum, non ilicet murus pertusus, vel saltem nulla notabilis ejusdem perforatio subsecuta fuisset, porro faciendum? Anne quarto, vel quinto, vel pluribus sine ullo temporis intervallo repetitis ictibus illa ipsa amplius tentanda, sollicitanda, & tandem efficienda erit? Equidem uti talem casum vix dabilem esse, nonnullos sibi persuadere sciam, utpote muro, antequam Malleoli ictus in eum fiant, jam probe in postica parte extenuato, ita quin Antiphonia ad tertium Malleoli pulsum audita, opifices ad murum penitus dejiciendum & relaxandum destinati, manus statim ipsi operi admoveant, nullum reor esse dubium.

XXI. An pauciores, quam tres ictus, Malleolo Jobileio in perfringendo muro peragere liceat, ab aliquibus quæri posse arbitrari: præsertim, si vel ad primum, vel ad secundum validiorem ictum, ruptura illico muri contigerit: mihi sane videtur, quod non: eam præcipue ob rationem, quod alias triga illa versusum à Papa ad quemlibet mallei ictum proferri solitorum non penitus posset ad finem perducere; Antiphoniarum etiam tali casu omissarum numerus imperfectus, & operariorum operas eluderet, vel saltem dubias redderet, & sinistram in animis spectatorum minima maxima observantium interpretationem excitaret, & universæ solennitati singularis alicujus defectus notam inureret.

XXII. Malleolum istum, quando, ubi, & quomodo, Pontifex sua dextra capiat ac apprehendat, dictu certe haud adeo est proclive: Silentibus enim hac de circumstantia Scriptoribus historiam Jobeleorum Pontificiorum tradentibus, quis hariolari quippiam, nedum statuere audeat? Num igitur Sellæ gestatoriz, cui Papa è Capella Palatii Aposto ici elatus insidet, ad scabellum sit appositus, vel an dextræ suæ insertum Papa eum teneat, vel an in gremio jacentem habeat, vel an ad porticum Basilicæ Petrinæ delatus, & in alium thronum juxta portam sanctam

Etiam excitatum elevatus, eundem ex manu Confessarii sui, vel alterius cujusdam personæ, sibi porrectum primo accipiat, vel alio quovis modo dextra sua apprehendat, nondum reperire potui in Autore aliquo annotatum.

XXIII. Cur in apertione portæ sanctæ, *non tam clavis*, (quo regnum alias cœlorum à S. Petro recludi dicitur,) *quam malleoli* vigeat usus, nescio an in quæstionem forte vocatum, responsione etiam aliqua fuerit dilutum. Mihi certe, præter Autoris primi beneplacitum, causa videtur esse murus, qui ferra destitutus, haud commodius conveniensque magis, malleo, instrumentum potest admittere, ad sui pulsationem, effractionem, dejectionem & demolitionem: quibus tamen addi insuper posset, Malleoli nempe in hac solennitate usu, ad *Matth. c. 7. v. 7.* respici, ubi ad præviam pulsationem apertio & patefactio subsequens promissa est, *conf. disp. hujus §. 10.* Ut taceam, in reconciliatione pœnitentis ad mortem, verba quoque à Pontificiis Clericis adhiberi hæc; *pulsantibus misericordie tue, ô Deus misericors, januam aperis pœnitentibus.*

XXIV. Postquam munere suo circa malleolum exequendo Papa defunctus est, eum, sine mora, supremo suo adstanti tradit Confessionario, qui eum fidei suæ concreditum, ceu rem oppido sanctam, in Papale deferri curat Palatium, ubi tam diu is inter alia studiose asservatur Cimelia Pontificalia, donec vel ex proprio pectoris Papæi motu, vel ex aliunde facta petitione instantiore, dono cuidam Principi, in pignus affectus singularis atque tesseram specialis benevolentie mittatur.

XXV. Sane *Julius III. Pont. Rom.* Ottonem Truggessium Cardinalem Augustanum, Malleolo Jobeleio, quod eum vehementius expetere videretur, muneravit: Sic namque *Sleidanus Commentar. de Stat. Relig. lib. 21. pag. 675.* Malleolo, ait, Pontifex aureo portam ferit, sic enim habet ceremonia: quem deinde honoris causa largiri solet alicui: Sunt enim qui se beatos hoc nomine putant. Et hoc quidem tempore Cardinalis Augustanus precibus eum obtinuit, & secum in Germaniam detulit. In illud Augustani Cardinalis factum, nonnulli, quum audissent, sic jocabantur, ut, hoc malleo, dicerent, eum cogitare Lutheranis contundere capita.

XXVI. Etsi nullo edoceri queat exemplo, præter Papam, in prioribus seculis Cardinalem aliquem, triplici malleoli pulsu Portam Sanctam, Romæ, tempore inchoati Jobelei, aperuisse, tamen circa præsentis Jobelei principium, Cardinalem Bouillonium, ex specialiter demandato sibi à Pontifice Innocentio XII. letaliter ægrotante officio, Sanctam Basilicæ Petrinæ Portam, trina Malleoli percussione aperuisse, rumore nuncio haud incerto, ex Italia in Germaniam, paucas has ante hebdomadas, perlatum est. Et quidem cum hac mihi scribenti, non alia, quam quæ *Relationes Amstelodamenses de A. 1699. d. 26. Decemb.* suggerunt, de apertione ista dictæ Portæ Sanctæ Cardinalitia innotuerint, placet eadem verbis inde excerptis seqq. heic proponere. Na dese Ceremonie (scil. post prælectam publice Bullam Papalem Jobeleiam,) begaf het Sacro Collegio Zich op Kerstavond na de Kapelle van Sixtus in't Vatikaen, en vandaer, na St. Pieters Kerk, alwaer de Kardinael de Bouillon, als Vice-Deken, in't byzyn van alle de Geestelykheyd, onder de gewoonlyke gebeden, *driemael met den silver vergulde Hamer*, aen de muur van de H. Poort sloeg, dewelke opgebroken zynde, soo wierd' er een Kistje met Medalien, dat' er door Paus Clemens de X. ingeslooten was, uytgenomen, en onder een Salvo uyt het geschut van't Kasteel, weggedragen; waer op de klokken wel 4. uuren lang luyden: en na de Vesperen, gaf de Kardinael de Benedictie aen't Volk.

XXVII. Eodem temporis articulo, quo Papa ordinariè, vel Cardinalis quidam à Papa delegatus, extraordinariè Portam S. in S. Petri Basilica aperit, tres Cardinales in tribus aliis Templis Romæ occlusis, benedictione prius à Pontifice accepta, portas quoque, malleolis quidem argenteis, at minime deauratis, aperire solent. Sic sub præsentis Jobelei initium, Portam Basilicæ Petrinæ Bouillonio Cardinali à Papa delegato aperiente, Cardinalis Pamphilius Portam Ecclesiæ S. Jobannis Lateran. in monte Celio; Cardinalis Panciatici Portam Ecclesiæ S. Pauli in Via Ostiensi, & Cardinalis Moriggia Portam Ecclesiæ S. Mariæ Majoris in monte Esquilino, trina malleoli pulsatione aperuerunt.

XXIIX, Num

XXIIX. Num. eodem, quo Sancta Basilicæ Petrinæ Porta à Papa recluditur, ceremoniarum apparatu, trium etiam ante recensitarum portarum refectiones à tribus Cardinalibus ad eas peragendas à Papa ablegatis peragantur, haud facile dixerim. Dane, Malleolo quamlibet illarum argenteo ter itidem pulsandam esse, uti in dubio ponere nolim, ita num ad singulos malleoli pulsus, singula pariter illa dicta à Papa proferri solita, Cardinales quoque repetant, Antiphoniasq; cum Papalibus easdem Chorus edat Musicus, num præterea vel Sellæ gestatorix impositi, vel mulis, vel carpentis vecti, vel pedibus incedentes, ad suas quisque ex tribus illis Cardinalibus portas aperiendas deferatur, & quæ forte alia in convenientia vel discrepantia ceremoniarum Papæ atque Cardinalium observatione digna censeriqueant, ea omnia inter incomperta hucusque collocare debui.

XXIX. Malleolos Cardinalium cum Pontificis Malleolo ratione *materie intrinsecæ*, quæ argentum est, convenire, ratione vero *extrinsecæ*, quæ aurum est, ab eo differre, ex antea jam allatis haud obscure perspicitur. De *Forma* malleolorum Cardinalitiorum satius fuerit tacere, quam inconcinne incerta aliqua proferre, quippe quod ea ipsa non minus ac Papalis Malleoli forma nondum accurate satis à quopiam est observata. Neq; aliud quid de pondere, pretio, magnitudine, aliisque ejus accidentibus dicendum erit. Nimirum quo scrupulosior interdum eorundem institui solet indagatio, eo minor inde notitia plerumque comparatur.

XXX. *An benedictionem*, quam Cardinalibus Papam impertiri constat, antequam functiones suas in aperiendis Ecclesiarum sibi commissarum portis obeant, malleolis itidem eorum impertiat, asserere nequeo. Enimvero haud me licet fugiat, largam benedictionum messem apud Pontificios reperiri, ceu vel ex unico illo libro varias benedictionum formulas completente Lipsiæ A. C. 1487. in 8. impresso, ad oculum patet; attamen Malleols etiam ejusmodi Cardinalium singulari quadam benedictione ad opus eorum ministerio feliciter peragendum affectos & consecratos fuisse, ex nupera Romæ sub Jobelei initium à tribus Cardinalibus trium Portarum Ecclesiasticarum triplici malleoli ictu peracta apertione haudquaquam innotuit.

XXXI. **Dono Malleolum** ejusmodi à Cardinali nonnunquam fuisse datum, vel Principi familiari, vel consanguineo, vel alteri cuiusdam amicitia juncto eundem expetenti, dubitare me non finit, tum proclivitas ingenii humani, ad ea plerumq; æstimanda & avide desideranda, quæ in rarioribus, solennioribus, augustioribus & sanctioribus Actibus, ab eximiis & eminentibus personis sunt gestata, adhibita, exhibita & celebrata, tum consuetudo, res, quarum ope aut ministerio illustre quidpiam & notabile effectum est, memoriæ conservandæ causâ, expetendi, vel affectus gratia alteri tradendi ac offerendi. Num autem tres illi paulo ante commemorati Cardinales, Malleolos suos argenteos alicui obtulerint, aut num in cimeliis suis asservatos adhuc custodiant, ad aures meas nondum permanavit.

XXXII. Si relationibus quibusdam publicis fides adhibenda est, dissensionis alicujus materiam Malleolus Jobeleius à Cardinali adhibitus dicitur præbuisse: Audito enim Cardinalem Bouillonium destinasse eum mittere Lutetiam, ut ibidem inter principalia sua cimelia reponeretur, ceu perpetuum futurum eo ipso loco Papæ à se apertæ Portæ Sanctæ monumentum, præfectus Camerae Papalis destinationi & intentioni huic sese opponens asserendo, sibi soli Malleoli ejusmodi in Camera Papali asservandi & custodiendi jus competere. Tandem tamen liticula ista, nescio quibus mediis modisque composita, ante memoratus Bouillonius, per singularem quendam veredarium, eum Parisios perlatum, in Gazophylacio suo diligenter custodiri mandavit.

XXXIII. Desiderio flagrantis Poloniarum Reginae, Romæ nunc in viduitate cum Patre suo Cardinali d' Archin commorantis, oculis suis Malleolum illum Jobeleium accuratius contemplandi ut plenissime satisfaceret, non tantum ipse Cardinalis Bouillon eum ad Reginam delatum de manu in manum tradidit, sed eleganter etiam de usu ejusdem differuit, quo ipso factum esse dicitur, ut præter voluptatem, quam ex intentiore ejus contemplatione cepit, insignem quoque animi æquitatem ac lætitiâ indice vultu suo demonstraverit.

XXXIV. Malleolo ejusmodi suprema in his terris Pontificis Romani potestas dicitur adumbrari, significari ac declarari, qua scilicet is à Deo instructus, solus cœli portam & referare & occlu-

occludere, plenissimasque indulgentias & remissionem omnium peccatorum concedere queat. Unde etiam *Sebast. Fabrini declaration. del. Giubileo cap. 23. pag. 295.* Secondo, ait, si ad opera il Martello. con il quale il Sommo Pontefice percuote tre volte il muro della Porta Santa: & questo Martello significa la suprema potestà del Papa, il quale può chiudere & ferrare le porte del cielo, che però egli solo, & non altro Prelato, hà potestà di concedere in fanta chiesa la pienissima Indulgenza del Giubileo. Cui adstipulans *Lel. Zecchius de Indulgent. & Jubil. cap. 4. pag. 70.* apertionem Portæ Sanctæ verbis exposuit seqq. Ita vinculis Spiritualibus obligati, liberi à vinculis redduntur, & è carcere educuntur, at hoc videtur significare solennis illa *Portæ Aureæ* apertio, quæ fit Romæ: Designare quoque potest apertionem illam portarum Limbi, quam fecit Dominus, cum anima ejus descendit ad liberandos Patres Sanctos incarceratos, de quibus intelligunt aliqui illud Psalmi: *Attollite portas Principes vestras, &c.* quia & tunc in Limbo fuit *Jubileum maximum & universale*, quo liberavit omnes ibidem existentes, & secundum aliquos, omnes etiam in purgatorio detentos. Significat quoque illa Portæ apertio, virtute clavium Petri, (*sed quare non virtute malleoli?*) aperiri thesaurum aureum Ecclesiæ, imo & januam cœli, remotis omnibus impedimentis, culpa per pœnitentiam, pœna per indulgentiam. Sed quam ficulneis omnes Pontificum Indulgentiæ suffultæ sint tibicinibus, & quid pariter de Purgatorio, nec non Patrum Limbo statuendum sit, ex nostratum potius Theologorum or hodoxis scriptis, quam promiscuis Historicorum relationibus discendum & repetendum erit.

XXXV. Quicumque peculiarem Malleolo Jobeleio, ex trina ejus vel à dextra Papæ facta elevatione, vel portæ sanctæ pulsatione, virtutem communicari autumant, ad tumores nodosq; ex podagra aut chiragra obortos, iteratis in eos aliquoties ictibus, discutiendos, imminuendos & depellendos, efficaciter cooperantem, nã svaviter nugari mihi videntur: præterquam enim quod instrumento, nisi à principali quodam ad effectum eleve-
tur, per se nulla vis aut virtus inest, profecto Malleo quoque aliam, quam quæ in sola percussione & contusione consistit, facultatem attribuere velle medicam, magicamque, per influxum
ab

ab elevantis aut pulsantis alicujus contactu, seu ab objecti percussione nobilitate communicatam, & quidem perpetuo inhaerentem, nescio an sanæ consentaneum esse rationi dici queat. De cetero, uti negari non potest, mallei in chirurgia usum semper fuisse, atque etiam nunc esse pereximium, ita me haud latet, à nonnullis ad experientiam ratione firmatam audenter provocari, mallei nempe cujuscunque fortiore in nodos podagricos ictu, vel clavi etiam in digitum podagricum improvise impetu adacti, sanguinemque elicientis potentia, dolores sæpius mitigatos, & interdum plane fuisse sublatos ac propulsatos: Num autem ob fortuitum talem eventum, virtus aliqua medica Malleo tribuenda sit, Æsculapii filiiis dijudicandum relinquitur.

XXXVI. Plura ut prioribus annectantur, tum definitus pagellarum numerus, tum *Terentianum* hocce, *Andr. Act. 1. Scen. 1. vers. 34. Adprime in vita est utile, ut ne quid nimis,* haud permittere videntur. Quapropter filium *Thecium* abrumpentes, benevoluntate *Lectorem* amice rogamus, ut non tantum, quod temporis inservire cupientes, ventilandum elegimus argumentum, meliorem in partem interpretetur, sed *Numi* etiam subjecti tria currentis anni oppido memorabilia exhibentis, non quidem, ob præcipitatas & festinatas typographorum operas, æri incisi, verbis tamen aliquadantenus expressi delineationem æqui bonique consulat: Comparet autem in una ejus parte *Cardinalis* habitu suo galeroque insignis post aram stans incensam, in medio *Numi* positam, dextra *Malleolum* tenens *Jobeleium*, & sinistra manus compressa duobus digitis thura in ignem super aram injiciens, duobus tibicinibus tibias inflantibus, utrumque illius latus cingentibus, tribusque labaris terræ infixis, uno quidem à tergo *Cardinalis*, literas *IOBEL.* ostendente, altero ad lævam tibicinis dextrorsum stantis, literas *SEC. MDCC. FINIT.* representante, & tertio ad dextram sinistrorsum stantis tibicinis, voces abbrev. *FAST. CORR.* exhibente, Legendo circulo *Numi* imposito *SAECVLARIA SACRA*: In altera *Numi* facie quatuor pueruli exhibentur, quatuor Anni tempora designantes, primus enim nudis brachiolis manibusque gesticulantibus & plaudentibus *Veris* tempus exprimit, alter etiam nudus, falcem

falcem messoriam manu protendens, *Æstatem* adumbrat, *tertius* itidem nudus, sinistra canistrum frugibus plenum, & dextra leporem ferens, *Autumnum* repræsentat, *quartus* vestitus & calceatus, dextra pedicam, sinistra avem captam, capite deorsum pendentem gestans, *Hyemem* designat, addito circulatim Legendo:

FELICIA TEMPORA. Extimam numi oram ambit
Virgilian. hocce: NUNC FORMOSISSIMUS
ANNUS. Ad ultimum, paucis ut multa complectar:

Et fasti, Et secla, Et romanæ iubilæ tollunt,
Clavula sic pax est, Et bene prospera lux.

•••••

COROLLARIA

à RESPONDENTE
subnexa.

I.

Astrologiam hodiernam divinatricem, falsam, vanam, & superstitiosam nuncupare, non erubescimus.

II.

Mundum figuræ esse rotundæ, probabiliter quidem dici, sed sufficienter demonstrari non posse, statuimus.

III.

Cælum moveri, non credimus.

IV.

Mundum esse finitum, sumus persuasi.

V.

Terram, collatam ad superius Cælum, instar puncti esse, censemus.

VI.

Nivem esse albam, negamus.

VII.

DEUM aliquod æternum creare potuisse, contradictionem putamus.

C

VIII.

Mundum dici posse τὸ πᾶν, non repugnamus.

IX.

Figuram Literarum Ebraearum hodie usitatarum, cum antiqua illa, qua DEUS in Decalogo manu sua describendo, quaq; Moses, ac Prophetæ alii omnes, in sacris minimum, usi sunt perpetuo, eandem dicimus.

X.

Nomen DEI יהוה Gentilibus haud fuisse ignotum, asserimus.

XI.

Amicitiam inter Orthodoxos & Hereticos locum habere posse, affirmare non audemus.

XII.

Denique concedimus, quod omnium rerum principium sit

F I N I S.

HOC Tibi MALLEOLO pateat pul-
fata Favoris
Porta Patronorum, corda regen-
te DEO.

*Hujus Distichi intuitu,
Eruditissime DN. BLANCKI,
recordaberis Præsidis nuper Tui,
quæ tibi fausta omnia ex animo apprecatur,
atque Te ipsum
Bonis omnibus & Literarum Fautoribus optime commendat,*

Dan. Guil. Molleri.

Quod

Quod fueris cautus rerum Scrutator, AMICE,
 egregium specimen fat docet Ingenii.
 Isthac perge Via, BLANCKI, sic itur ad Astra,
 sicque Tibi accedit Gloria, Fama, Decus.

Ita ludis

Tuus

Johannes Andreas Franck,
 Svobac. SS. Theol. Cultor.

Wer kennt den armen Ruhm des reichen Pabstthums nicht?
 Es wil mit aller Welt umd Ehr' und Borzug streiten.
 Man höre nur / was es vom Jubel-Sammer spricht;
 Ein dreyfach schlechter Schlag sol Himmels-Macht bedeuten.
 Allein weil Süßigkeit des Giffs Bedeckung ist /
 und weil auch faules Holz im finstern Strahlen schießt /
 so könnte man ein paar von Adams-Aepffeln mahlen /
 mit dieser Überschrift: **Der Kern entdeckt das Prahlen.**

Wer durch die Himmels-Thür / in Himmel kommen wil /
 der darff dem Petro nicht viel gute Worte geben :
 Denn unser Mittler ist das rechte Andachts-Ziel ;
 Er / Jesus / ist der Weg / die Wahrheit / und das Leben. Joh. XIV. 6.
 Wenn dieser Ablass giebt / so hat es rechte Krafft /
 Kein Rom-befleckt Papier hat solche Eigenschafft.
 Sein Purpur-Dinten-Blut kan rechte Brieff' ertheilen /
 und ein Versieglungs-Kuß beståtigt diese Zeilen.

Jedoch was macht der Pabst? Was giebt's denn guts allhier /
 wenn Seine Heiligkeit die Peters-Pforte håmmert?
 Was gehen denn dabey vor Jubel-Sachen für /
 wann da das Noten-Chor tactirte Sprüche wemmet?

Dis

Dis ist hierinnen wohl / recht / glücklich / ausgeführt.
 Ja die Catheder selbst befindet sich obligirt /
 indem auch Reid und Feind hierüber schüttelnd stuzet /
 und sagt: Er / Werthester / hat Svadam selbst getruget.

Wohlan / Er fahre fort / frisch / munter / aufgeweckt.
 Ich weiß / Er macht es nicht wie manch elende Tropffen /
 die / wenn kein goldner Wis inihren Köpffen steckt /
 bey Bitte eines Diensts mit goldnen Hämmern klopffen.
 Nein. Sondern wenn die Zeit wird ausbestimmet seyn /
 so dringt Sein Bücher-Fleiss durch Thür / und Herß hinein.
 Mich dünckt / ich hör / ihn schon für der Erlauchten Kammer:
 Wer klopfft? Herz Blanck. Mit was? Mit dem gelehrten
 Hammer.

Mit diesen Versen wolte dem Hn. Respon-
 denten, als seinem wehrtesten Freunde,
 seine Schuldigkeit zu erkennen geben.

Johann George Neidhardt/
 Bernstadio-Silesius.

Non opus est amplius extollere laudibus illum,
 quem Virtus cara, & quem rara scientia laudat.
 Eloquar, an fileam? Saltem dixisse volebam;
 utramque esse boni Logici defendere partem.
 Commendant Te facta satis, neque, carmine vili
 ut referam laudes, opus est, Charissime BLANCKI,
 pro Cathedra nuper qui stabas Ore disertio
 Opponens JOBELLI; ast nunc Defensor acutus.
 Hinc precor, ut pergas, vigeas, abeas pede fausto,
 utque DEUS posthinc Conamina cuncta secundet.

f.

Georgius Heumann/
 LL. Studiosus.

Faint, illegible markings on the left page of the manuscript, possibly bleed-through from the reverse side.

Faint, illegible markings on the right page of the manuscript, possibly bleed-through from the reverse side.

